



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi
Societatis Iesv**

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Obseruantissimus omnium legum ac iussionum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

religiosæq; perfectionis studijs intenti , gemmarum instar in reliquis virtutum ornamenti s eas æstimabunt , habebuntque ut indices certissimas candidæ cuiusdam ac rectissimæ mentis.

Solent Superiores , nouis incidentibus rebus , noua quædam consulta decernere , quæ in triclinio ferè promulgantur. Comperio à Ioanne notata exceptaque tabulis ea omnia , quæ per id tempus , quo in Romano Collegio degit , fuere edicta , memoriaræ gratiâ & observationis. Quidam , qui eodem cum Ioanne cubiculo vtebatur , aliquando ei indicauit , in animo sibi esse petere à Superioribus rei nescio cuius vetitæ facultatem. Dissuasit Ioannes , & Ego , inquietabat , non peterem ; cùm quia non esse necessaria videatur , tum quòd adduci non possim , vt rem ullam aut lege aut iusu interdictam efflagitem. Addebatque , se semel atque iterum non leui fuisse religione commotum , quòd obsequentiâ Magistri sui potestatem impetrasset festo aliquo die manendi domi , nec audiendi lectionem quæ in Æde I e s v habebatur : adductus hoc argumento , quòd Regula iubeat frequentari concionem aut lectionem quæ habebitur in Templo nostro : Templum autem I e s v , communis loquendi vsu non accipi pro Templo Collegij ; cùm aliud proprium Collegio

E 3

Tem-

Templum sit, atque etiam (licet Synaxis sacra diebus Festis hic obeatur, ibi vero concio conuocetur) nihilominus in Collegio examen conscientiae signo consueto indicatur, quod moribus nostris non permetteretur. E contrario tamen videri, Ædem illam censeri instar Templi Collegij, quando iri eodem solitum est, ad audiendam concessionem aut lectionem. Sed ego, inquietus, edoceri me certius curabo, ac si quidem lege teneri competero, numquam in posterum licentiam petiturus sum. Quo clare estimari possit, quam ille mordicus Regularum obseruationi inhereret. Nam & inter ea quae sibi tamquam principia quædam statuerat, haec quoque sententia comperitur: *Odisse ut pestem dispensationem in Regulis.* Neque sane deinceps priuilegio ullo generali huius illiusve rei pro arbitrio gerendæ aut omittendæ eximius haberi voluit, quod sentiret scilicet, minore periculo ac maiore merito, quotiescumque res ferret, facultatem submissè indifferenterque à Superiore flagitari. *Non facile petam,* inquit, *facultatem generalem pro aliquâ re.*

Festo Parentis nostri IGNATII die, cum Sacro interfuisset, quod in Æde IESV fuerat solemniore ritu peractum, reuertentem ad Collegium comes interrogat per viam, ecquam præcipue gratiam à beato Patre flagitasset.

*Odit per
priuilegia
legibus exi-
mi.*